

tionem eum abfolvendi tam à venialibus, quam à mortalibus; nec ultra fit ab eo cogitandum; tantum enim fufficit ad validitatem Confeflionis Eminentiſſi. Card. de Lugo diſp. 22. num. 70. & Dicatiff. diſp. 10. dub. 12. num. 350. ubi alii plures.

Concluſio ſecunda: Uterius ſcire debet Confefſarius Caſus reſervatos, ut cognoſcat, quos poteſt abſolvere, & quos non poteſt. Similiter ſcire debet Excommunicationes, quæ ipſo facto incurruntur; tum quia non poteſt abſolvere à peccato, niſi priùs abſolvat ab excommunicatione; tum etiam quia oportet, ut ſciat admonere pœnitentem de his, quæ illi neceſſaria ſunt, ut ab excommunicatione abſolvatur. Salmanticenſes d. cap. 12. num. 5.

Concluſio Tertia: Præcipue opus eſt, ut Confefſarius ſciat ſpecies, numerum, ac circumſtantias peccatorum, neceſſario explicandas; & in univerſum ea, quæ per ſe ſpectant ad integritatem Confefſionis; & quæ neceſſarium ſit, ut pœnitens ſit ſufficiens diſpoſitus ad recipiendam abſolutionem; tam ex parte doloris, quam ex parte propoſiti; & an pœnitens ſit in occasione proxima peccandi; nec non obligationes ſatisfaciendi, ac reſtituendi; impedimenta quoque Matrimonii pro Laicis; cenſuras, ac irregularitates pro Eccleſiaſticis.

Concluſio Quarta: Circa omnia prædicta, non eſt neceſſe, ut Confefſarius habeat perfectam ſcientiam, & cognitionem; ſed ſatis eſt, ut intelligat ea, quæ frequentius accidunt; & de aliis dubitare ſciat, ut juſte, ac dignè ſuo munere fungatur: nam ſi dubitat, poteſt legendo, vel alios conſulendo ſe inſtruere, & cum pœnitente ea, quæ oportet, adimplere; aliàs vix aliquis eſſet, qui poſſet confeſſiones audire. Suarez d. diſp. 28. ſect. 2. Eminentiſſi. Cardin. de Lugo diſp. 21. num. 70. & 71. Gobatus d. traſt. 7. num. 188. & 189. Salmanticenſes d. traſt. 6. cap. 12. n. 7. & ſeqq. ubi bene obſervant, quod inſcientiam requiri in Confefſario deputato in parvis Villis, majorem verò in eo, qui in magna Civitate Confefſiones audit; prout etiam, quòd ubi pœnitens eſt vir doctus, quæcumque ſcientia, eſt parva ſufficit in Sacerdote, ut ait etiam Suarez d. ſect. 2. num. 3.

Prudentia eſt Tertium requiſitum neceſſarium in quocumque Confefſario, juxta illud Prov. 4. 5. Poſſide ſapientiam; poſſide prudentiam, eſt enim Virtus, quæ regulat omnes actiones humanas, ut dicit Eminentiſſi. Cardin. de Lauræa in 3. Sentent. tom. 2. de Virtutibus in genere diſp. 10. num. 11. & ea uti debet ad cognoscendum, an pœnitens ſit bene diſpoſitus ad validè recipiendam abſolutionem; obſervatis ejuſdem verbis, moribus, conditione, longitudine, vel brevitate temporis ab ultima illius Confefſione decuſſi; aliique circumſtantias ipſius pœnitentis perſonam concernentibus; ſiquidem quando prudenter judicat, eſſe bene diſpoſitum tum quoad dolorem, integritatem Confefſionis, ac propoſitum emendationis, ſatis eſt, ut eum abſolvat abſque aliis interrogationibus. Suarez diſp. 32. ſect. 3. num. 3. Palaus traſt. 23. diſp. unic. punct. 19. §. 2. & Salmanticenſes d. traſt. 6. cap. 12. num. 15. & 16. optimè advertens, quòd pœnitentes honeſti, bene inſtituti, ac docti non ſunt indifferenter interrogationibus fatigandi; niſi aliquando quoad numerum, vel circumſtantias peccatorum, de quibus ipſi mentionem ſecerunt, ſi non ſatis ſe explicuiſſe videantur. E contra ſi Confefſarius probabiliter dubitet, pœnitentem deſerere in ſui accusationem, circa ſpecies, numerum, aut circumſtantias peccatorum, ſive ex defectu examinationis, ſive ob ignorantiam, & inadvertentiam, debet, quoad prudenter fieri poteſt, illum de iſdem interrogare, juxta text. in cap. Omnis utriuſque ſexus. De Pœnitent. & Remiſſ. ubi Summus Pontifex ait: Sit Sacerdos diſcretus, & cautus more periti Medici, diligenter inquirens peccatorum circumſtantias, &c. & docet Magiſter Sent. in 4. diſp. 19. quem

ibidem ſequuntur S. Thomas, & Scholaſtici; nec non omnes Moralitæ, quos longa ſerſe citant Salmanticenſi. ubi prox. num. 18.

In interrogando autem pœnitente opus eſt ſumma prudentiâ, ad quam comparandum, Deo auxiliante, non parùm conducent ſequentiâ documenta. Primo; non requiri exactiſſimam diligentiam in interrogando, quæ ſit nimis oneroſa pœnitenti, ac ipſi Confefſario; ſed talis qualis ſit ſufficiens ad integritatem Confefſionis. Secundo; non eſt interrogandum pœnitentem de omnibus, quæ ſcripta ſunt in Morali Theologia, ſed de his, quæ ſpectare poſſunt ad ejus ſtatum, vel conditionem. Tertio; in peccatis carnalibus parcè, ac velociter, & cum modeſtia eſſe procedendum in interrogationibus, ne pœnitentem ſcandalizet, vel ſe periculo pollutionis exponat. Quarto; non reprehendat, aut invehat in aliquid peccatum, niſi completa Confefſione, ne pœnitens deterretur alia fortè graviora manifeſtare omittat. Quinto; ubi eſt aliquid examinandum circa aliquid peccatum quòd ad ſpeciem, numerum, vel circumſtantias, id requirit cum benignitate de peccato in peccatum, ne, ſi expectet in finem, obſivio, aut conſiſio impediat, ne Confefſarius ſcientia ſciat. Sexto; ruſticos, aut alios rudes homines, qui abſque deſolato examine ut plurimum ad pedes Confefſarii accedunt, non expedit dimittere, ut ſe examinent, ac redeant; ſed eos juvare per opportunas interrogationes; ſic enim ſient magis apti, quam ſi milles dimittantur. Septimo; Ruſtici, qui agreſſi, & inculto modo confeſſi ſunt multo tempore cum bona fide, ſed ſine integritate quoad numerum, ſpecies, vel circumſtantias, non ſunt cogendi iterare Confefſiones factas; ſed ſatis eſt ab iſdem exigere, quæ omiſerunt in præteritis Confefſionibus; juxta DD. quos cumulat, & ſequitur Diana Coordinatus tom. 1. traſt. 3. reſol. 119. & 120. quorum prima eſt in Diana antiquo part. 3. traſt. 4. reſol. 107. aliàs 108. altera verò part. 10. traſt. 14. reſol. 21. aliàs 19. Magnè tandem, ſi Confefſario innotuit, pœnitentem commiſiſſe mortale, eo quo nullo eſt confeſſus, & licet prudenter interrogatus, de illo non ſe accuſet; diſputant DD. quid ſit agendum. Alii dicunt, quòd eum dimittat, ſi certò ſcit peccaſſe, ſecus ſi ex aliorum relatione, quia in Confefſione Sacramentali tam pro, quam contra ſtandum eſt dictis pœnitentis; tantò magis quia poteſt pœnitens habere aliquam legitimam cauſam, illud non manifeſtandi ipſi Confefſario, ut diximus ſupra Decif. XXXIII. n. 11. Nihilominus prudentia Confefſarii tanta eſſe debet in inſtruendo pœnitente de neceſſitate integritatis, & in præbenda ei fiducia inviolabilis ſecreti, ut ex ejus ore eruat virus illius culpæ. Suarez d. diſp. 32. ſect. 3. & Salmanticenſes d. traſt. 6. cap. 12. num. 28.

Juſtitia eſt quartum requiſitum Confefſarii, quæ quidem eſt multa genera cauſam reſpiciat, tria tantum hic referre ſatis erit. Unum eſt, quòd Confefſarius auditus peccatis pœnitentis bene diſpoſit, teneat de juſtitia ei abſolutionem impertiri, ſive ſit proprius Parochus, ſive alius Sacerdos ad Confefſiones audiendas approbatus; ſic enim poſtulat ratio judicii, & æquitas inter pœnitentem, & Confefſarium; & aliàs magna fieret injuria ipſi pœnitenti, ſi ſine cauſa privaretur Sacramento, & cogeret iterum coram alio eadem peccata confeſſi, ſive ſine mortalia, ſive etiam tantum venialia. Averaſ de Pœnit. quaſt. 16. ſect. 11. Suarez diſp. 32. ſect. 5. Salmanticenſes d. cap. 12. num. 29. & 30. ubi tamen concedunt, poſſe ex juſta cauſa Confefſarium diſſerre abſolutionem ad magis ſe certiorandum de vera diſpoſitione pœnitentia, vel recidivi, vel contumacis in adimplenda pœnitentia: Alterum genus juſtitie eſt, ut Confefſarius inſruat eo meliori modo, quo poteſt, pœnitentem in his, quæ ſunt neceſſa-

ria ad ſalutem, & ab eodem pœnitente ignorata culpabiliter; puta myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, Redemptioſis noſtræ ex Incarnatione, Paſſione, Morte, ac Reſurrectione Chriſti Domini, Venerabilis Eucharitiæ Sacramenti, Reſurrectionis Univerſalis, ac ſimilium; Cardenas in Criſi Theolog. diſſert. 41. ubi ponit Propoſitionem damnatam 64. quæ aſſertat, Abſolvi poſſe ignorantes dicta myſteria etiam ex negligentia. Debet etiam inſtruere ſponſos de impedimentis Matrimonii, præcipue contrahendi, ut ſuſè diſſerit Sanchez de Matrimon. lib. 12. diſp. 38. Bonacina, & alii, quos allegant Salmanticenſes d. traſt. 6. cap. 12. punct. 3. per totum, ubi num. 32. in ſpecie dicunt, teneri Confefſarium ex juſtitia admonere pœnitentes de obligatione revelandi Superioribus hæreticos, nec non Sacerdotes ſolicitantes ad turpia in Confefſione, juxta Bullam Gregorii XV. Incipien. Univerſi Dominici Gregis. 30. Auguſti 1622. de qua plenè agunt mea Erotemata cap. 126. in quo omnes caſus ad dictam materiam ſpectantes ſummam illi tum ex Moralitatis modernis, tum ex Criminalitatis præctis, ac ſapientioribus. Tertium genus juſtitie eſt, ut à Confefſario moneantur pœnitentes, ſi Prælati, Paſtores, aut Gubernatores ſint, de eorum notoriis peccatis, quæ vel nesciunt, vel non curant, circa malam collationem beneficiorum, Miniſtrorum electionem, ſubditorum gubernationem, aut elemoſynam diſtributionem; ſi enim Confefſarius ea ſcit, & tacendo prædictas abſolvit, imponit ſuis humeris peccata eorum; & errores, quos in pœnitente diſſimulat; nam qui fornicat potentis faciem, non debet Confefſarii officium aſſumere. Eminentiſſi. Card. de Lugo diſp. 22. num. 37. Bufenbaum de Pœnit. cap. 2. dub. 5. num. 8. Hinc Cardinalis Baronius audiens Confefſiones Clementis Papæ VIII. eum monuit de monopolio Annonæ, quòd ejus Nepos faciebat in præjudicium omnium pauperum. Pontifex nepotem corripuit, qui minatus Baronium, de purpura eo privando, audivit, eum ſibi reſpondentem: Sine dolore relinquam, quòd ſine amore poſſido. Bernabæus in Vita Card. Baronii lib. 2. cap. 1. in ſp. Quòd ſi pœnitentes ſint perſonæ privatæ, tenetur Confefſarius ex juſtitia, eos monere de obligatione adimplendi vora, ſi quæ emerint, juramenta, promiſſiones, aut præteritis Sacramentales ſatiſfactiones; ad tollenda, ſive reparanda ſcandala, ſi quæ intulerunt; ad corripiendos delinquentes, ſi ad eorum ſpectet officium; & præcipue ad reſtitutionem famæ, aut honorum, ſi in his aliquem læſerunt; nec non ad eodem pœnitentes retrahendos à negotiis illicitis, & à contractibus uſurariis, in quibus ſi ſint renitentes, abſolutionem omnino debet denegare; ut latè DD. apud Salmantic. d. cap. 12. punct. 3. à num. 32. & ſeqq.

De approbatione Confefſariorum ſæcularium diſſerit in præſenti Decifione. Docetur, quòd eorum approbatio requirit duo; ſcilicet judicium de idoneitate, & conſeſſionem Jurisdictionis pro pœnitentibus abſolvendis. Qualiter approbentur Parochi; nec non ſimplices Sacerdotes. Utrum approbatio faciendâ ſit ab Epifcopo Confefſarii, vel Pœnitentis, vel Locum, in quo audiendâ eſt Confefſio. An detur Caſus, in quibus Sacerdos non approbatus poſſit abſolvere. Abbates habentes territorium ſeparatim approbant Confefſarios: Non etiam Monafteria, & Capitula pro Eccleſiis Curatis de eorum Menſa. Parochi num poſſunt aſſumere in Confefſarios Sacerdotes approbatos tantum quò ad ſcientiam? Quando expiret facultas audiendi Confefſiones.

DECISIO XXXVII.  
ARGUMENTUM.  
De approbatione Confefſariorum ſæcularium diſſerit in præſenti Decifione. Docetur, quòd eorum approbatio requirit duo; ſcilicet judicium de idoneitate, & conſeſſionem Jurisdictionis pro pœnitentibus abſolvendis. Qualiter approbentur Parochi; nec non ſimplices Sacerdotes. Utrum approbatio faciendâ ſit ab Epifcopo Confefſarii, vel Pœnitentis, vel Locum, in quo audiendâ eſt Confefſio. An detur Caſus, in quibus Sacerdos non approbatus poſſit abſolvere. Abbates habentes territorium ſeparatim approbant Confefſarios: Non etiam Monafteria, & Capitula pro Eccleſiis Curatis de eorum Menſa. Parochi num poſſunt aſſumere in Confefſarios Sacerdotes approbatos tantum quò ad ſcientiam? Quando expiret facultas audiendi Confefſiones.

SUMMARIUM.

- 1. Approbatio Confessarii necessaria pro validitate Absolutionis.
- 2. Approbatio Confessarii importat Actum intellectus, & Voluntatis in approbante, & num. 3. & 6.
- 3. Judicium de idoneitate quale esse debeat? Interiorius, vel exteriorius?
- 4. Torrens dicitur de Confessarii parum dicitur.
- 5. Jurisdictio est necessaria in Confessario.
- 6. Doctores expressè loquentes de iudicio idoneitatis, & de danda Jurisdictione Confessario.
- 7. Approbatio ad Confessiones fit duobus modis. Et quibus?
- 8. Institutio alia Authorizabilis, alia Collatoria tituli.
- 9. Parochus eo ipso qui fit, est approbatus ad Confessiones.
- 10. Parochus de consuetudine audiunt Confessiones in tota Diocesi.
- 11. Parochus in aliena Diocesi an possit absolvere suum substitutum?
- 12. Confessarii simplices quomodo deputentur?
- 13. Approbatio Confessariorum potest committi ab Episcopo cuiuscunque viro docto.
- 14. Confessarii approbatur vel indefinitè, vel ad tempus limitatum.
- 15. Appellatio duorum simplicium Capellanorum ob denegatam licentiam audiendi Confessiones.
- 16. Rationes denegandi licentiam audiendi Confessiones ignorantibus.
- 17. Approbare Confessarios ad quem spectat?
- 18. Episcopi approbant omnes Confessarios in sua Diocesi.
- 19. Moraliste corrigendi circa eorum dicta de approbatione Confessariorum.
- 20. Abbates habentes territorium separatim, & Jurisdictionem quasi Episcopalem Approbant Confessarios.
- 21. Capitula, ac Monasteria in beneficiis sibi unitis non approbant Confessarios.
- 22. Farræ Ecclesia Curata de mensa Capituli Paduani. Litigium super approbatione illius Curati.
- 23. Parochi an possint assumere in Confessario Sacerdotes approbato quoad scientiam tantum? Et quod non. Num. 26.
- 24. Casus non veri, in quibus Moraliste docent, non requiri approbationem Confessarii pro absolutione à peccatis.
- 25. Articulus, & periculum mortis non eget Confessario approbato.
- 26. Confessarius non approbatus an præsertim approbato absolvere possit in articulo, vel periculo mortis?
- 27. Angeli an possint absolvere à peccatis?
- 28. Approbatio pro Confessionibus quando expiret?
- 29. Dubitans an sit expirata licentia Confessionis, an possit absolvere conscientem?

**P**Ræter probitatem, scientiam, prudentiam, ac iustitiam, quæ requiruntur in Sacerdote Confessario pro recta administratione Sacramenti Pœnitentiæ; opus est Approbatione, quæ est quintum Requiritum necessarium pro validè administrando prædicto Sacramento. Pro cuius intelligentia hic duo sunt repetenda, ac memoranda, quæ diximus supra: Unum in Decif. XV. num. 28. quod nomine approbationis pro Confessionibus audiendis venit duo actus; primus scilicet intellectus, quo Prælati iudicat Sacerdotem idoneum quo ad scientiam, & mores; secundus, voluntatis, quo ei concedit Jurisdictionem, facultatem, ac potestatem absolvendi

pœnitentes à peccatis in foro Sacramentali, quamvis enim antiquitus plures DD. opinarentur, quemlibet Sacerdotem completè ordinatum posse quotcumque pœnitentes à peccatis absolvere absque alia licentia Superiorum, hæc opinio fuit damnata tum in Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. tum in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. ubi definitum fuit: Nullus momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet Jurisdictionem; quod est alterum rememorandum à nobis dictum supra in Decif. XV. num. 31. & 32. Igitur Sacerdos Confessarius, ut validè absolvat pœnitentes, idoneus ad Confessiones audiendas iudicari debet à Superiore, & ab eodem recipere jurisdictionem, & facultatem absolvendi, & utrumque includitur in approbatione, quam ad hunc effectum indixit, tamquam conditionem, sine qua non, idem Concilium Tridentinum in sess. 23. cap. 15. his verbis: *Quantum Prebyteri in sua ordinatione potestatem absolvendi à peccatis accipiunt; decernit tamen Sancta Synodus, nullum, etiam Regularium, posse Confessiones Secularium, etiam Sacerdotum audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si ita illis videbitur, aut alia idoneus iudicetur; & approbationem, quæ gratis datur, obtineat; privilegii, & consuetudine quacunque, etiam immemoriali non obstantibus.*

His memoratis, agendum est in præsentem de Approbatione Confessariorum Secularium, tamquam requisito simpliciter necessario pro Confessionibus audiendis; nam de eadem approbatione pro Confessariis Regularibus separatim est differendum. Videbimus itaque

- Primo: Quid sit approbatio Confessariorum?
- Secundo: Quibus modis fiat?
- Tertio: A quibus fit facienda?
- Quarto: Quibus in casibus non fit necessaria?
- Quinto: Quando jam facta expiret?

**Q**uo ad Primum: Approbatio Confessarii est iudicium de eius idoneitate quoad scientiam, & probitatem, simulque concessio Jurisdictionis pro audiendis, ac absolvendis pœnitentibus in foro interno, ac Sacramentali. Dicitur, eam esse iudicium; quia est actus intellectus cognoscere, an Sacerdos, qui petit facultatem audiendi Confessiones, sit idoneus, ac habilis scientia, ac probitate, per reflexionem ad eius responsa, si examinetur; vel ad eiusdem studia, operationes, ac actiones, si sint notoriæ; siquidem duæ sunt operationes intellectus, ut ait Aristot. lib. 3. de Anima cap. 5. text. 21. id est simplex apprehensio, in qua non datur veritas, aut falsitas; & reflexio ad diversos conceptus, in qua fit compositio, conducens ad erudendam veritatem, vel falsitatem. Reflexio igitur Superior, qui debet approbare, ad interrogationes, & responsa approbandi; sive ad eius litteraria exercitia alio modo sibi cognita, concludit in suo intellectu an idoneus sit, vel non, ad administrandum Sacramentum Pœnitentiæ; & juxta iudicium suum interius, ipsum exterius approbat, vel reprobat; dicendo, ac declarando, eundem esse, vel non esse idoneum.

Hic autem Quærant DD. An si Episcopus in mente sua aliquem iudicet inhabilem, voce tamen, & in scripto idoneum proferat, eique approbationem, ac facultatem concedat, valida sit approbatio, dum Episcopus fictionem suam non declarat? Alii negant, illam approbationem esse validam, dicentes, quod Concilium Tridentinum requirit approbationem cum iudicio idoneitatis, & iudicium idoneitatis cum approbatione. Ita Reginaldus lib. 1. num. 197. & Bonacina de Sacram. Pœnit. disp. 5. quest. 7. puell. 4. num. 29. Alii tamen veridicè affirmant, quia ex instituto Ecclesiæ attendendum est iudicium exterius, non autem interius; & si aliter feret, qui-

libet effectus expositus infinitis scrupulis, & dubitationibus circa validitatem Confessionis, idèò validè erit prædicta approbatio, quamvis Episcopus peccaret. Ita Suarez disp. 28. sect. 5. num. 7. Eminentiss. Card. de Lugo disp. 21. num. 25. & Salmanticenses, alios allegantes de Sacram. in genere d. tract. 6. cap. 11. num. 91.

Uterius dicitur, prædictum iudicium esse debere quo ad scientiam, ac probitatem; quia utraque necessaria est in Confessario ad bene administrandum Pœnitentiæ Sacramentum, ut ostendimus in præcedenti Decif. XXXVI. num. 3. & 4. ubi DD. quibus addendus est Nicolus in Flosculi. Verb. Confessarius num. 11. & 12. referens hoc dictum S. Tereziæ in cap. 5. ejus Vita: *Experientia didici, meliores esse Confessarios, alias virtutibus, sanctisque moribus præditos, si nihil habeant litterarum, quam si parum; nam nec illi confis fuisse de seipsis, & potius interrogassent, seu consulissent eos, qui multa sciunt; nec ego de ipsi confis fuissim. Egregie, ac eminenter docti nunquam me sefellerunt. Mediocres non credo, me decipere voluisse, sed plura nesciebant. Dicitur, similitè concessio Jurisdictionis pro audiendis, ac absolvendis pœnitentibus. Quoniam, ut dictum est supra, non sufficit, quod Superior iudicet Sacerdotes sæculares habiles, & idoneos ad audiendas Confessiones per actum sui intellectus, sed opus est, ut addat actum voluntatis, impertiendo, ac concedendo ipsam suam Jurisdictionem, potestatem, ac facultatem ligandi, ac solvendi pœnitentes suæ Diocesis sibi subditos. Aliud enim est iudicare idoneitatem per actum intellectus; & aliud est concedere potestatem, facultatem, & Jurisdictionem per actum voluntatis; qui sunt duo actus inter se distincti, etsi ad invicem subordinati, ut primum præcedat actus intellectus iudicando circa habilitatem, atque idoneitatem volentis audire confessionem; deinde subsequatur actus voluntatis concedentis necessariam Jurisdictionem, ac potestatem administrandi Sacramentum Pœnitentiæ; quod, (ut pluries notatum est) cum sit institutum à Christo sub forma judiciali ad ligandum, vel solvendum pœnitentes à peccatis, quæ confitentur; non potest exerceri à simplicibus Sacerdotibus, quamvis habeant characterem, & clavem ligandi, atque solvendi sibi consignatam in sua ordinatione, nisi subditio eisdem iudicanti, prout in profanis observatur, quando quis fit Doctor in publica Academia; constituitur enim capax iudicandi, ac dirimendi lites civiles, ac criminales in foro, at ad actuale exercitium iudicandi devenire non potest, donec à Principe, vel à Civitate sibi non fuerit traditum Officium, atque potestas iudicandi; ut latissime, ac novissimè probat Eminentissim. Card. de Lauræa de Sacram. Pœnit. disp. 18. art. 7. per totum, & disp. 19. art. 3. & Salmanticenses d. tract. 6. cap. 11. num. 5.*

Inficari non possumus, quod Moraliste solliciti non sunt, hos duos actus intellectus, voluntatisque in Superiore, Sacerdotes ad Confessiones audiendas approbante, distinguere; sed eosdem complicant in verbo approbationis; per illud supponentes utrumque actum; nihilominus non desunt aliqui, à quibus utriusque actus essentia diversa proditur; & utriusque necessarius concursus pro completa approbatione Confessarii indicatur. Petrus Murga loquens de approbatione ad curam Animarum de Mensa Monasterii, in suo libro de Jure, & Potest. Parochi part. 1. quest. 2. Divif. 2. num. 28. ita scribit: *Approbatio autem Episcopi, de qua num. 25. ut bene docet Marc. Vital. in Arca Vitali tit. de Jurisd. Inquisit. 2. num. 12. & Thomas de Bene de Immunit. Eccl. ton. 2. cap. 14. dub. 18. sect. 11. num. 28. & 46. quem omnino vide, non est Jurisdictionis collatio, sed*

*idoneitatis declaratio, & quasi iusta sententia, quia approbatio actus est intellectus; collatio vero Jurisdictionis est voluntatis actus. Idem advertendum esse dicit Layman de Sacram. Pœnit. lib. 5. tract. 6. cap. 11. num. 7. his verbis: Distinguendum est inter approbationem, & delegationem Jurisdictionis; quia ut rectè ait Lamas part. 1. Method. cap. 6. §. 5. Approbatus Ordinarii iudicio, sive sufficiens declaratus non eo ipso Jurisdictionem recipit: approbatio enim est actus intellectus, ut potè iudicium, sive sententia. Traditio autem Jurisdictionis debet esse actus voluntatis Superioris. Concordat testimonium Pauli Squillantii in tract. de Obligat. & Privileg. Episcoporum. part. 3. cap. 39. num. 1. ita loquentis: Huiusmodi tamen Episcopi approbatio non est delegatio Jurisdictionis, sed aliquid prævium ad illam; cum approbatio nihil aliud sit, quam quedam publica sententia, seu authentica contestatio de sufficientia illius Sacerdotis ad audiendas Confessiones, quam S. Concilium Tridentinum voluit esse necessariam dispositionem, ut simplex Sacerdos sit proxime capax huius Jurisdictionis. His omnibus addendus est Eminentiss. Card. Capificchius in Q. Theologicis quest. 1. pag. 42. col. 1. ita distinguens. Animadvertendum tamen, Jurisdictionem, seu potestatem absolvendi Sacramentaliter à peccatis non conferri per approbationem, qua quis in Confessarium approbatur. Approbatio enim per se nullum confert Jurisdictionem; atque idèò illa sola non sufficit ad audiendas Confessiones. Igitur præter approbationem requiritur Jurisdictio, quæ confertur cum Sacerdos iudicè deputatur ad Confessiones audiendas; quod contingit, quando beneficium Pastorale confertur, aut aliquis conceditur potestas audiendi Confessiones. Itaque extra omnem controversiam esse debet, quod approbatio Confessarii per ejus Superiorem faciendam requirit duos actus; Unum intellectus, quo iudicatur, & declaratur idoneus; Alterum voluntatis, quo ipse Superior impertit illi jurisdictionem, potestatem scilicet, ac facultatem pœnitentes ligandi, atque solvendi.*

Quo ad secundum: Si querimus, quæ modis hæc approbatio fiat; respondetur, eam fieri duobus modis; Uno, per collationem beneficii Curati; altero per simplicem concessionem Episcopi, quæ vocatur simplex delegatio, ac deputatio ad Confessiones audiendas. In collatione beneficii intervenit uterque actus intellectus, ac voluntatis supra explicitus; quia præmittitur concursus ad præscriptum S. Concilii Tridentini sess. 24. de reform. cap. 18. in quo per examinatores Synodales in præsentia Episcopi, aut ejus Vicarii fit experimentum idoneitatis concurrentium quo ad scientiam, probitatem, & prudentiam ad regimen Animarum, & per consequens ad audiendas Confessiones, & ita fit iudicium super eadem idoneitate: Jurisdictio potestatem conceditur pro administratione Sacramentorum; & sic pro absolvendis pœnitentibus à peccatis per collationem beneficii curati, & per institutionem Sacerdotis præelecti in illo, quæ quidem cum per beneficiatistas dividatur in duas species; ita ut sit collatio, & institutio auctorizabilis; & alia simplex collatoria tituli ad tradita per Loterium de Re benef. lib. 1. quest. 33. num. 99. hæc secunda spectare potest non solum ad Papatum, & ad Episcopatum; sed etiam ad Monasteria, & ad Capitula habentia Jus conferendi beneficia, quamvis sint de eorum mensa; ea ratione, quia subiectum talis collationis sunt fructus ejusdem beneficii, ad quos percipiendos jus, facultas, ac potestas recipitur ab iisdem Monasteriis, ac Capitulis. At collatio, ac institutio primæ speciei, dicta auctorizabilis, fit à solo Episcopo; ejusdem enim collationis, ac institutionis subiectum est simplex cura, ac regimen populi; qui cum sit subditus Episcopo, ab ejus jurisdictione dependet concedere potestatem Parochi instituto absolvendi populum

pulum ipsum à peccatis; ut antea ducerat idem Loterius d. lib. 1. q. 25. n. 12. & novissimè tradidit Eminent. Card. de Luca in Theatro Veritatis, in trah. de Pœnitentiâ, disp. 12. n. 3. & de iurisdictione, disp. 24. & 15. Quæ potestas autorizabilis provenit immediatè in Parochum à Papa, quando à Sede Apostolica obtinet beneficium ob supremam Jurisdictionem, quam habet Summus Pontifex super omnes Ecclesias totius Orbis Christiani. Loterius d. lib. 1. q. 8. n. 52. ita tamen, ut Parochus in suo ministerio sit subordinatus Episcopo.

Hinc certum est apud omnes Theologos tam Scholasticos, quam Moralistas, quod statim ac quis obtinet Beneficium Parochiale censetur eo ipso approbatus ad Confessiones audiendas. Floronus de Casib. reservat. part. 1. c. 4. §. 12. n. 2. Barbosa plures DD. cum laus ad d. sess. 23. Concil. Trid. c. 15. n. 17. bene advertens, quod licet strictè loquendo, & attento rigore antiquorum Canonum, Parochus non possit audire Confessiones, nisi eorum, qui habitant in ejus Parochia, pro ut servatur circa Baptisum, Sacrum Viaticum, Extremam Unionem, ac Matrimonium; nihilominus de universalis consuetudine ubique, scientibus, ac approbantibus eam Episcopis, introducta, atque firmata, omnes Parochi audiunt Confessiones quorumcumque penitentium ad se confluentium, non solum in eodem Oppido, ac Civitate, in qua habent beneficium; sed etiam per totam Diocèsim sui Episcopi, imò etiam in Ecclesiis alterius Diocesis positis in confinio Diocesis propriæ, ut affirmat servari in Hispania, Gallia, Lusitania, & aliis Regnis idem Barbosa ad d. sess. 23. c. 15. n. 19. & concordat Eminentiss. Card. de Lugo disp. 21. num. 11. & seqq. nec non praxis hujus Patavinæ Diocesis. Sed utrum Parochus in aliena Diocesi possit absolvere Sacramentaliter suum subditum absque licentia Ordinarii illius Diocesis? Concedunt omnes Moralistæ, quos allegant Salmanticenses d. trah. 6. c. 11. n. 55. & Barbosa ubi proxime num. 20. extendens hanc suam assertionem etiam ad simplicem Confessarium, circa subditos illius Diocesis, in qua ipse est approbatus, repetos in aliena Diocesi; quod minimè esse verum constabit ex infra dicendis n. 20. Porro post dimissum beneficium non posse amplius à Parocho audiri Confessiones, nisi obtineat novam facultatem ab Episcopo, docent concorditer omnes DD. apud Barbosa de Parocho, cap. 19. num. 6. & ad Concilium Tridentinum d. sess. 23. cap. 15. num. 21. Reginaldus d. lib. 1. num. 190. ac Eminentiss. Card. de Lugo d. disp. 21. num. 8.

Alter modus approbandi Sacerdotes sæculares ad Confessiones audiendas est per simplicem delegationem, quæ passim praticatur, & fit ab Episcopis, concedendo licentiam simplicibus Sacerdotibus Capellani coadiuvandi Parochos in administratione Sacramenti Pœnitentiæ; & fieri potest hæc delegatio, vel prævio examine, ut plerumque fit super scientia, & idoneitate Capellani; vel etiam sine examine; quando ejus doctrina est nota Episcopo, qui non est adstrictus facere dictum examen, dicente Concilio in d. sess. 23. cap. 15. Si ita illi videbitur. Item non est obligatus Episcopus examinare, approbare, & Jurisdictionem, facultatemque audiendi Confessiones concedere per se ipsum, quia cum hi omnes actus sint actus ordinariæ suæ Jurisdictionis Episcopalis, ut bene advertit Jordanus tom. 1. lib. 3. tit. 4. num. 108. ubi Sotus in 4. disp. 18. quest. 4. art. 3. & Barbosa de Offic. & Potest. Episc. alleg. 25. num. 3. potest eos committere non solum Vicario suo generali; sed cuicumque alteri viro, de cujus doctrina, justitia, & integritate certitudinem habeat, ut notat Diana Coordinatus tom. 1. trah. 3. resol. 26. num. 14. desumpta ex veteri in part. 11. trah. 4. resol. 16. Idcirco pluribus ab hinc annis, cum ab Eminentissimo, ac Reverendissimo D. Gregorio Cardinali Barbado sanctæ memor. Episcopo Patavino demandata mihi Auditori suo fuisset generalis fa-

cultas tum examinandi, tum approbandi, ac mandata subseribendi pro confessionibus audiendis, quoscumque simplices Confessarios, murmurabat de hac commissione Vicarius Generalis, cum Eminentia sua nimis desidem repererat in istdem Confessariis examinandis, fed obmutuit visis supradictis auctoritatibus, ac præcipue punctuali doctrina Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Sacrament. Pœnitent. disp. 20. art. 3. num. 198. affirmantis, quod ubique Episcopi ob plurimas suas alias occupationes, iudicium de habilitate Confessariorum mutant ab alio examinatore, cui committunt suam auctoritatem pro examinandis, & approbandis istdem Confessoribus: ac illis, si idoneos reperiant, iurisdictionem absolvendi penitentes impertiendi.

Cæterum hæc simplex delegatio Capellanorum, ac Sacerdotum pro confessionibus audiendis fieri potest vel ad tempus indefinitum, vel ad tempus limitatum juxta beneplacitum Episcopi, vel ejus Vicarii, aut Ministri, habito respectu ad sufficientiam Sacerdotis eandem delegationem petentis; sed ex universalis consuetudine omnium Episcoporum hodie Confessariis sæcularibus non datur facultas audiendi confessiones, nisi ad annum, ut testatur Nicolaus in Lucubrat. Canonis lib. 4. tit. 38. sub num. 9. qua finita, & tempore transacto, non possunt amplius confessiones audire, nisi iterum compareant pro nova licentia, prævio novo examine, si ita videatur Episcopo, vel ejus Ministro deputato; qui si repererit ipsum comparentem defecisse in scientia, ob derelictum studium, (ut sæpe accidit,) poterit eum reprobare, & absque petita facultate dimittere; ut frequenter mihi convenit facere, dum supradicto munere Auditoris, & Approbatoris Confessariorum hujus amplissimæ Diocesis Patavinæ fungerer, & neminem, nisi prævio examine approbarem, juxta præscriptum Eminent. Domini mei Cardinalis. Nec tendenda est arrogancia duorum Capellanorum Villarum Brudiginis, ac Campanolæ, qui cum aliis fuissent approbati à Vicario Generali ad audiendas Confessiones per annum; at à me reperti penitus ignorantes fuissent in petitione novæ licentiæ rejecti, dicto anno transacto, appellarunt ad Metropolitanum, præterdentes cogere Curiam Eminentiss. D. Cardinalis Episcopi Patavini ad novam approbationem istdem concedendam: at disputato hoc articulo, fuerunt per Metropolitanum licentiati, & in expensis condemnati vigore Jurium, ac rationum per me in sequenti scriptura deducarum.

Illusterrime, ac Reverendissime Domine: Perperam agunt Capellani Villarum Brudiginis, & Campanolæ præsumentes obtinere per viam appellationis facultatem audiendi confessiones ab hac Curia Episcopali Patavina, innixi approbationibus in antea à Vicario Generali concessis; siquidem cum ipsæ fuerint ad tempus limitatum, quod jam expiravit, habentur tamquam non concessæ. Barbosa ad Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. num. 42. & 45. Garzias de Benefic. part. 1. cap. 2. num. 87. Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Sacrament. Pœnitent. disp. 20. num. 179. & declaravit Sacra Congregatio Concilii in una Patavina 7. Januarii 1654. Nam refert Nicolaus in Lucubrat. Canon. lib. 5. tit. 38. num. 9. Neque cogi potest Eminentissim. Episcopo Paduanus ad eos noviter approbandos pro confessionibus audiendis, quia approbatio simplicium Capellanorum, quales sunt supradicti duo, ad dictum munus, est actus pendens à libera voluntate Prælati, qui potest concedere unam Jurisdictionem fori interni supra gregem suam; & alteri eam negare juxta suum beneplacitum, ut eruditè demonstrat idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 20. n. 180. & 187. ac etiam 198. & nulla lex reperitur, vel divina, vel humana, quæ ad hoc adstringat Episcopos; ut docent omnes Theologi, & Canonistæ relati

à Cononio in Controversiis Illustr. lib. 2. Controver. 7. cap. 3. n. 41. & cap. 4. num. 80. & 81. & à Nicolio d. lib. 5. tit. 38. n. 9. ubi testatur, tale esse usum Urbis, & Orbis.

Et hæc veritas, ad magis procedit in casu nostro; atenta ignorantia, ac insufficientia dictorum Capellanorum, qui denudè examinati, reperti sunt ignorare ea, quæ necessariò scire debent pro recta administratione Sacramenti Pœnitentiæ, ob quam imperitiam, ne dum simplices Capellani, ut sunt antedicti, sed etiam Parochi perpetui Ecclesiarum suspendi possunt ab Episcopis à confessionibus audiendis, tam in Visitatione, quam extra, ut docet Fagnanus in cap. Accepimus. num. 47. De Etate, & Qualit. & declaravit eadem S. Congregatio die 15. Januarii anno 1667. teste Pignatello tom. 1. Consult. 132. n. 7.

Neque se tueri possunt præsumpta sufficientia ex approbationibus habitis à Vicario Generali præteritis annis; Quia, præterquamquod eos approbavit vel nullo, vel levissimo præmisso examine, eo tamen non impeditur Episcopus, quin possit iterum illos examinare, præcipue completo tempore, ad quod fuerint approbati; & casu quo eos non reperiat idoneos, nihil obstat, quod possit, immò quod debeat eos reprobare, ad tradita per eundem Fagnanum in d. cap. Accepimus. n. 15. 45. & 47. De Etate, & Qualit. per Barbolam Decij. Apostolic. Collect. 38. n. 7. & novissimè per prædictum Eminent. Card. de Lauræa in d. disp. 20. num. 53.

His rationibus, & auctoritatibus motus Vicarius Metropolitanus Aquilejensis licentiavit eosdem Capellanos à petitis, illosque condemnavit in expensis, quas rigorosè exegit ab ipsis Promotor Fiscalis Patavinus, in penam temeritatis, ac ignorantie; & ad aliorum exemplum. Est igitur certa, & indubitata conclusio, quod simplices Confessarii sæculares admitti possunt ad munus audiendi confessiones non solum tempore indefinito; sed ad tempus limitatum, non excedens spatium unius anni, quo transacto revertentes pro nova approbatione, iterum examinari possunt; prout servatur in praxi, potissimum super materiis, quarum in præterito examine non habebant perfectam intelligentiam; de quibus ego specialem memoriam tenebam in scriptis in libro particulari de Confessoribus intitulo; & hoc pacto, & per studium mentrum harrum Decisionum Clerus Patavinus celebris evasit in discussione casuum conscientie sub regimine Emin. Card. Barbadiçi.

Quo ad Tertium, in quo quæritur, à Quibus sit facienda prædicta Confessariorum approbatio: Non est dubitandum de potestate Papæ, qui per totum orbem terrarum approbare potest Confessarios. Suarez de Pœnit. disp. 26. sect. 1. num. 3. ubi plures tex. allegat, & nos ostendimus supra Decif. XIX. n. 31. neque de Cardinalibus, qui pro se ipsis, & pro eorum familia deputare possunt in Confessarium propria auctoritate quemcumque voluerint Sacerdotem, à nullo alio Prælato approbatum, ut pluribus DD. citatis demonstrat Diana part. 11. trah. 4. resol. 12. quæ transmevit in Coordinatum tom. 1. trah. 3. resol. 23. quapropter tota inspectio hujus quæstionis restringitur ad tres personas, videlicet ad Episcopum, seu Ordinarium; ad Monasteria, & Capitula habentia Ecclesias curatas sibi unitas, & de mensa pro audiendis confessionibus in istdem Ecclesiis, & ad Parochos in deputazione Capellanorum, qui eos adjuvant in administratione Sacramenti Pœnitentiæ.

Circa primas personas, id est Episcopos, seu Ordinarios, certum est ex d. decreto Concilii Tridentini sess. 23. cap. 15. spectare ad ipsos examen, ac approbationem Confessariorum; sed quia tres Episcopi possunt considerari circa administrationem Sacramenti penitentiae unius solius personæ, nempe Episcopus loci, in quo Sacramentum administratur; Episcopus, cui subditus est penitens; & Episcopus Supe-

rior Confessarii, magna est controversia inter Scholasticos, & Moralistas, quibus horum trium Episcoporum debeat approbare Confessarium, tum quo ad idoneitatem, tum quo ad impediendam eam Jurisdictionem, ut licite, ac valide possit absolvere penitentem à peccatis. Quatuor opiniones refert Barbosa de Offic. & pot. Episc. alleg. 25. à n. 26. & seqq. Prima dicit, sufficere approbationem cuicumque ex prædictis tribus Episcopis. Henriquez lib. 6. cap. 6. §. 7. & lib. 7. cap. 12. Valerius de Differ. Ursinque fori Verb. Absolutio. disp. 1. num. 62. Secunda requirit approbationem ab Episcopo ipsius penitentis. Gutierrez Q. Canon. lib. 1. cap. 27. num. 6. Tertia asserit necessariam esse approbationem Episcopi ipsius Confessoris. Reginaldus lib. 1. num. 183. Suarez disp. 28. sect. 8. à num. 3. Quarta tenet, requiri, quod Confessarius sit approbatus ab Episcopo Diocelano, id est ab Episcopo illius loci, in quo administratur Sacramentum Pœnitentiæ, & audiendæ sunt confessiones; & hæc amplectitur tamquam verioriem ipse Barbosa d. alleg. 25. num. 30. eamque probat pluribus rationibus, ac Auctorum multitudine; & præcipue ob declarationem Sacre Congregationis relaxat à Beja part. 4. Casus 20. Vers. Tandem, quæ dicit: Approbatum ab alio, quam à Valentino Episcopo, in Diocesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario. Aliam quoque declarationem refert ipse Barbosa sub n. 32. in una Calaguritana die 6. Junii 1608. quæ sic loquitur: Confessarius tam secularis, quam Regularis in una Diocesi approbatus ad audiendas personarum secularium Confessiones, non potest in alia eisdem Confessiones audire absque Episcopi Diocesis approbatione. Hanc eandem quartam opinionem tenet, & comprobatur pluribus argumentis Eminentiss. Card. de Lauræa disp. 20. de Sacram. Pœnit. art. 3. à n. 83. & seqq. illamque servat praxis totius orbis; & hinc temporibus non est recedendum ab illa, stante novissima Constitutione Clementis Papæ Decimi, Incipit. Superna &c. diei 20. Maii 1670. in qua §. 4. ita dicitur: Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad Confessiones secularium in sua Diocesi audiendas approbatos non posse in alia Diocesi eas absque Episcopi Diocesis approbatione audire; quoniam penitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati. Et hæc determinatio circa Confessarios Regulares multò magis comprehendit Confessarios Sæculares, adeo ut nunquam possint audire confessiones, nisi sint approbati, ac licentiam, facultatemque obtinuerint ab Episcopo loci, & Diocesis in qua sunt eas audiri: unde corrigendi sunt Moralistæ contrarium scribentes, & docentes, quod Confessarii absque approbatione Episcopi loci, in quo volunt audire confessiones, possunt audire confessionem subditum illius Episcopi, à quo fuerint antea approbati; ita asserbat Tamburinus de Jure Abbat. tom. 2. disp. 6. quest. 14. num. 4. Diana Coordinatus tom. 1. trah. 3. resol. 9. 10. & 11. & alii ibi ab eo allegati; sed hæc assertio profcripta est in supradicta Clementina. Nominè verò Episcopi Diocesis, seu loci veniunt etiam Abbates, & alii Prælati inferiores habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem eorum territorio, & populo exempto, ut bene notat idem Tamburinus d. disp. 6. quest. 11. Reginaldus lib. 1. num. 182. & Barbosa d. alleg. 25. num. 9. ubi nominat diversos Prælatos huiusmodi conditionis, & idem docent omnes Beneficialistæ, Campanil. in Divers. Juris. Canon. Rubric. 12. cap. 13. num. 76. Riccius in Decif. Curie Napol. part. 4. Decif. 22. num. 4. & Ciarlinus lib. 2. cap. 208. num. 46. prout etiam Vicarius Capitularis sede Episcopali vacante. Suarez disp. 28. sect. 5. num. 2. & Barbosa ubi supra num. 10.

Circa secundas personas, nempe Monasteria, aut Capitula, quæ habent Ecclesias curatas sibi subiectas, unitas, ac de Mensa; dicendum est, eorumdem

23 dem Prælatos, Abbates, feu Archiepiscopos non posse approbare Sacerdotes pro audiendis confessionibus in sisdem Ecclesiis; sed debere illos eligere, ac præsentare Episcopo Ordinario loci, ut eos approbet, examinando illos quo ad idoneitatem; & subinde, si idoneos eos repererit, ut illis impertiatur Jurisdictionem, ac facultatem absolvendi penitentes, ea ratione, quia populus non est subiectus Monasteriis, vel Capitulis, sed ipsi Episcopo; ideo ab ipso tanquam proprio Pastore deleganda est potestas audiendi Confessiones sursum ovium, ac illas Sacramentaliter absolvendi, uteruditè disserit Emin. Card. de Luca in *trac. de Paroch. disc. 12. n. 3. & in trac. de Jurisdictione discor. 14. & 15.* Et hoc fuit unum ex tresdecim Capitibus, in quibus diu litigatum fuit inter Curiam Episcopalem Patavinam, ac Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, cui à nonnullis sussum fuerat, spectare ad ipsum Capitulum dare facultatem administrandi Sacramenta, & audiendi Confessiones Curato, ac Capellanis in Ecclesia Parochiali Villæ Farræ Paduanæ Diocesis, unita mensæ Capitulari ab Eugenio Papa IV. Anno 1439. ad hoc, ut ex ejus fructibus auferentur distributiones quotidianæ pro residentiibus in Choro ejusdem Cathedralis, cum onere manutenendi in illa Parochum pro cura animarum, eligendum ab ipso Capitulo. Dicebant consultores prædicti Capituli, non posse Curiam Episcopalem approbare Curatum, ac Capellanis Ecclesiæ Farræ, nisi quo ad idoneitatem, ac doctrinam; quo verò ad Jurisdictionem, & potestatem administrandi Sacramenta, ac audiendi Confessiones Jus esse in Capitulo, quia agebatur de Ecclesia sibi pleno jure incorporata, ac annexa; & ostendebant mandatum quoddam *diei 8. Mensis Novembris anni 1604.* in quo dicebatur, quod Sacerdoti tunc electo pro Capitulo, & per Curiam Episcopalem idoneo reperto, ipsum Capitulum dabat facultatem ac licentiam exercendi Curam animarum Villæ Farræ, & in ea exercendi Sacramenta. Respondebant Curæ Episcopalis defensores (inter quos egregius Advocatus Venetus Petrus de Marinis, morum integritate, consiliorum rectitudine, ac perorandi eloquentia, eruditione, ac energia præclarissimus) respondebant inquam, quod concessio dictæ facultatis, ac licentiæ non poterat intelligi de facultate auctorizabili, proveniente à Clavibus Ecclesiæ, & à Jurisdictione spirituali super populum Villæ Farræ, quæ in solo Episcopo Diocesano residet, & ab eo emanare debet, prout semper emanavit in approbatione facta Curatorum ejusdem Ecclesiæ quo ad utrumque effectum per duo sæcula, & ultra, & concludenter ipsa Curia Episcopalis demonstrabat, quod Bulla Eugeniæ Unionis concedebat Capitulo solum jus colligendi fructus temporales Ecclesiæ Farræ, & facultatem eligendi Curatum, illumque præsentandi Episcopo Patavino, ut ab eo approbaretur tum quo ad idoneitatem, tum quo ad imperandi eidem Jurisdictionem, ac potestatem administrandi Sacramenta, & audiendi Confessiones fidelium ejusdem Villæ Farræ; prout in terminis loquitur Rota *part. 1. Diversor. Decif. 758.* & scribunt idem Eminentissimi Cardin. de Luca *d. discurs. 12. num. 3. de Paroch. & disc. 14. ac 15. de Jurisdic. novissimè Pignatellus tom. 1. Consult. 136. num. 15.* Addebatur Curia Episcopalis, quod etiam si unio fuisset facta pleno jure quoad temporalia, ac spiritualia adhuc remanente populo sub jurisdictione Episcopi, ab eodem exigenda erant facultas audiendi confessiones ejusdem populi, in quem Capitulum nullam habet superioritatem, itaque neque Dominus Archiepiscopus caput Capituli posset personaliter audire confessiones prædicti populi, aut exercitium Curæ animarum assumere sine licentia Episcopi, ut in puncto tradit Rota *part. 4. recent. Decif. 448. num. 12. part. 5. tom. 1. Decif. 53. n. 37. part. 10.*

Decif. 83. num. 12. & coram Card. Seraphino Decif. 1009. n. 5. & testatur Dominus Terricellus J. C. Patavinus in *trac. de Unione cap. 4. n. 45.* Tandem eadem Curia ostendebat exemplum Abbatum Sanctæ Justiniæ de Padua; & Canoniorum Lateranenſium, Candianæ, ac aliorum habitentium plures Parochiales sibi unitas pleno jure, ac de mensa, in quibus tamen sola electio Curatorum spectabat ad eisdem Abbates; approbatio verò quo ad idoneitatem, & quo ad auctorizabilem ad Episcopum Paduanum propter prædictam rationem, quod populi illarum Ecclesiarum sunt subiecti Episcopo, non autem ipsi Abbates. Quare Anno 1693. decifum fuit ad favorem Episcopi in supraſcripto jurgio approbationis Curati Villæ Farræ.

Circa tertias personas, nempe Parochorum, Moralitæ serè omnes junctis pedibus descendunt in hac assertionem, quod Parochi possunt concedere Jurisdictionem, & facultatem audiendi Confessiones suorum Parochianorum illis Sacerdotibus, qui quo ad idoneitatem tantum fuerint approbati ab Episcopo, ea ratione, quia Parochi habent ordinariam Jurisdictionem in suos Parochianos, qui autem habet Jurisdictionem ordinariam, potest eam alteri delegare. *cap. Inter cetera. De Offic. Ordinar. Suarez de Pœnitent. d. disp. 26. scđ. 1. n. 3. Navarus in cap. placuit num. 48. de Pœnit. disp. 6.* Idcirco Parochos posse assumere in suos coadjutores pro Confessionibus audiendis propriorum Parochianorum Sacerdotes approbatos ab alienis Episcopi non habentem jurisdictionem ab Episcopo loci Superiore eorundem Parochorum docet per plures resolutiones Diana Coordinatus *d. tom. 1. trac. 3. resol. 11. 12. 13. & 14.* ubi DD. Porro apud me hæc assertio non intrat, & eam in praxi nunquam habere locum observavi; si enim esset vera, sequeretur, quod omnes illi, qui concurrunt ad aliquod beneficium Parochiale, & ab examinatore synodali coram Episcopo approbantur quo ad scientiam, & mores, possent abique mandato, seu licentia Episcopi vocari à Parochis ad audiendas confessiones in eorum Ecclesiis; quod quidem à nemine fit; & si fieret, non tardarent Episcopi punire hujusmodi Confessarios, semiapprobatione, scilicet quo ad idoneitatem tantum, fultos.

Dicendum est igitur, Parochos non posse assumere in Confessarios pro se, ac suis ovibus, nisi Sacerdotes approbatos complete ab Episcopo, & quoad idoneitatem, & quo ad jurisdictionem, ac expressam facultatem habentes audiendi confessiones; quandoquidem Parochi circa Sacramentum Pœnitentiæ non habent Jurisdictionem aliis per ipsos delegabilem. Primò, quia jurisdictione eorundem Parochorum non est proprie jurisdictione, Butrius in *cap. Cum ab Ecclesiarum. num. 23. ad fin. De Offic. ordinar. quem laudat, & sequitur Loterius de Re benef. lib. 1. q. 5. num. 37.* sed est exercitium jurisdictionis delegatum Parochis per collationem beneficij, vel per deputationem ab Episcopo factam ad regimen aliquis Ecclesiæ Curatæ. Idcirco non possunt suum ministerium, quoad confessiones subdelegare. Suarez *d. disp. 26. scđ. 1. n. 2.* Secundò, quia est quoddam lato modo Parochi dicantur habere Jurisdictionem; habent Jurisdictionem delegatam, non autem ordinariam; hæc enim supponit Magistratum, & concernit in universum Res, & Personas; illa verò est restricta ad certas personas tantum; & ideo Parochi non habent vim coercitivam, neque judicium circa res Ecclesiæ; sed tantum in foro interno circa personas limitatas intra confines suæ Parochiæ. *l. 1. C. Ubi, & apud quem. l. Legatus. ff. de Offic. Proconsul. Cephalus conf. 338. num. 2.* Neque obstat, quod etiam Delegatus potest subdelegare. *cap. Si pro debilitate. De Offic. delegati. cap. Cùm causam. De Appellat. l. A judic. C. de Judic. l. 1.*

C. Qui

C. Qui pro sua Jurisdic. Nam responderetur, procedere in delegato à Principe; secus in delegato ab inferiore. M. Ant. Peregrinus Eques Patavinus in *trac. Variis lib. 1. ad Rubr. de Officio, & Potest. Jud. deleg. num. 6.* Parochi autem sunt delegati ab Episcopis inferioribus Papa ad regimen animarum, imò potius sunt subdelegati; nam omnes Episcopi sunt delegati à Summo Pontifice tanquam supremo, & universalis Pastore ad regimen Animarum; & ideo dicuntur vocati in partem Pastoralis sollicitudinis. *cap. Decreto 11. cum seqq. 2. quest. 6. cap. Multum. 3. qu. 6. Loterius d. libr. 2. quest. 22. num. 25.* & per consequens Parochi subdelegantur ab Episcopis in eodem regimine, & sic subdelegare alios non possunt in audiendis confessionibus, & absolvendis penitentibus à peccatis. Tantò minus, quia in hoc ministerio censetur electa industria propriæ personæ ipsius Parochi; quo casu prohibita est subdelegatio. *cap. fin. §. 1. & ibi Abbas, & DD. De Offic. Deleg. M. Ant. Peregrinus ubi supra num. 7. Loterius d. libr. 2. quest. 2. num. 32. & Pax Jordanus lib. 13. tit. 6. à numer. 26. & seqq.* Neque implicat, quod Parochi subdelegant abique scrupulo alios Sacerdotes ad alia Sacramenta suis Parochianis administranda, scilicet Baptismum, Eucharistiam, Extremam Unctionem, ac etiam Matrimonium. Facilis enim est responso, quia prædicta Sacramenta, etsi spectent ad Parochum, non requirunt jurisdictionem, sed solum Sacrodotium in aliis; in Matrimonio autem expressè à Concilio Tridentino permittitur Parochis, ut in *scđ. 24. de Resor. Motim. cap. 1. ibi: Qui aliter, quam presente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, &c.* Igitur conclusio fit, non posse Parochos committere Sacerdotibus approbatis tantum quo ad idoneitatem, ut audiant Confessiones suorum Parochianorum; quia non spectat ad ipsos Parochos impertiri Jurisdictionem, & auctoritatem Clavium ligandi, ac solvendi penitentes; sed ad solum Episcopum, ut expressè loquitur Concilium Tridentinum *d. scđ. 23. cap. 15.* & servatur in praxi in hoc Episcopatu Patavino; in quo est expressè prohibitum cuiquam audire confessiones sine licentia Episcopi, ut legitur in *Constit. Synodal. part. 2. cap. 14. Vers. Nullus.* ubi ita est sancitum ab Episcopo: *Nullus ad hoc munus obeundum accedat, nisi vel prævio examine facultatem à Nobis impetraverit, vel animarum curæ præstet.* Quam prohibitionem esse justam, ac validam demonstrat Diana Coordinatus *tom. 1. trac. 3. resol. 23. num. 25. & 26.* quæ in Veteri est *part. 11. trac. 4. resol. 13.*

Quo ad quartum: Si petamus, & requiramus, quibus in casibus prædicta plena Episcopi approbatio non sit necessaria pro confessionibus audiendis. In primis referendi sunt plures casus, in quibus Scholastici, ac Moralitæ docent, non esse necessariam approbationem Episcopi pro confessionibus audiendis, quævis eorundem DD. opiniones, & assertiones hodie sint præscriptæ, ac reprobatæ; ut passim notabimus, ad certam instructionem studiosorum in hoc quaesito. Primò docebant, pro absolute à Venialibus quælibet Sacerdotem simplicem esse Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ, & absolvere posse abque approbatione Episcopi, asserentes Jurisdictionem concedi universaliter ab Ecclesia. Ita Aversa *quest. 16. de Ministr. Sacrament. Pœnit. scđ. 3.* Eminen. Card. de Lugo *disp. 18. scđ. 3. num. 41.* Diana, alios DD. cumulus in Coordinato opere *tom. 1. trac. 4. ref. 10. nec non in tom. 3. trac. 1. resol. 39.* & Salmanticenses *d. trac. 6. cap. 11. à num. 8. & seqq.* Sed, (præterquam quod hæc opinio impugnantur, & non veram ostendebat Bordonus Var. *scđ. part. 1. resol. 36. n. 57.* Eminentissimi Card. de Lauræa *disp. 19. art. 10. per totum;* & alii per nos citati supra in Decif. XV. num. 30.) nunc reprobata, & expressè damnata est De Sacramento Pœnitentiæ.

hæc doctrina, ac talis opinio ab Innocentio Papa XI. in suo Decreto Communionis Quotidianæ *diei 12. Februarii Anno 1679.* quod ego posui, & transcripsi in meis Decisionibus De Venerabili Eucharistici Sacramenti in Decif. X. num. 11. & de eadem reprobario loquitur Cardenas in *sua Crisi Theolog. Dissert. 2. cap. 6. à num. 416. & seqq.* Secundo negabant necessitatem approbationis pro nova absolute à peccatis aliis confessis, ac dimissis, quævis mortalibus; ob eandem rationem, quam de Venialibus allegabant; scilicet non esse materiam necessariam Sacramenti pœnitentiæ, sed tantum sufficientem. Eminentissimi Cardin. de Lugo *d. disp. 18. scđ. 3.* Laym. *de Sacram. Pœnitent. cap. 10. num. 2.* Salmanticenses *d. cap. 11. num. 15.* Sed & hæc opinio est detestanda; quia etiam circa peccata jam confessæ, & remissa, si noviter subdantur Clavibus per reiteratam confessionem, datur vera, ac valida absolute, ut ostendimus supra Decif. XXXV. n. 8. ideo opus est approbatione Episcopi, & quod per eam jurisdictione habeatur. Tertio flocci faciebant approbationem prædictam pro absolute à mortalibus inculpabiliter oblitis, dum ea pœnitens recordatur, & confitetur. Diana Coordinatus *tom. 7. trac. 1. resol. 87.* existente in Veteri *part. 2. trac. 16. resol. 44. alias 46. ubi DD.* Et etiam ab hac opinione cavendum; eam enim reprobant Candidus *Disquisit. 24. art. 66. dub. 2. num. 5.* Leander *quest. 13.* quem citant, ac sequuntur Salmanticenses *d. trac. 6. cap. 11. num. 18.* Quarto concedebant, non esse necessariam dictam approbationem Doctoribus, Licentiatibus, ac Magistris; sed rejiciunt & hæc doctrina, tanquam erronea à DD. quos cumulant, & commendant Salmanticenses *d. trac. 6. cap. 11. num. 94.* stante Constitutione S. Pii V. edita anno 1571. *Incipit. Romani Pontificis &c.* in qua præcipit, Magistros, ac Doctores in Theologia esse approbandos ab Episcopis prævio examine ac Confessionibus audiendas. Et Quintò asserebant, quod Prælati Regulares non egeant prædicta approbatione pro confessionibus, quia quodammodo videntur Parochi, cum habeant regimen Monasterij, seu Conventus. Ita DD. apud Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 12. num. 3.* in glossa *lit. K. Valerius in Different. Utriusque fori Verb. Nullitas diff. 5. n. 3.* & alii apud Dicastrum *disp. 10. sub. g. num. 265.* Sed merito exploditur & hæc opinio à DD. allegatis per Salmanticenses *d. cap. 11. num. 93.* rectè advertentes, quod illæ Prælati non significantur nomine beneficij Parochialis, de quo loquitur Concilium Tridentinum *d. scđ. 23. cap. 15.* & ideo videmus, quod Abbates, Priores, Guardiani, & alii Superiores Monasteriorum volentes audire confessiones Sacularium accedunt ad Episcopum pro approbatione, ac mandato.

Igitur pro responsione propositi quæ sit dicendum est, Unum tantum esse casum, in quo non est opus approbatione; videlicet articulus, seu periculum mortis. In hoc casu omnes Sacerdotes habent sufficientem Jurisdictionem absolvendi à quibuscumque censuris, ac peccatis quomodolibet reservatis, ut declaravit Concilium Tridentinum *scđ. 14. cap. 7.* in illis verbis. *Verumtamen pro admodum, ne hoc isaccasione aliquis perest, in eadem Ecclesia Dei custodiam semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet penitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* Et equidem in prædicto casu nullus Sacerdos excipitur, etiam si esset excommunicatus, hæreticus, degradatus, suspensus, vel irregularis, ut docent Suarez *disp. 26. scđ. 4.* Sanchez in *Dialog. lib. 2. cap. 13. à numer. 6.* Eminentissimi Cardin. de Lugo *disp. 18. scđ. 2. num. 18.* & apud plures apud Dianam *part. 3. trac. 4. resol. 57.* Quæ est in Coordinato *tom. 1. trac. 5. resol. 2.* & apud Salmanticenses *d. trac. 6. cap. 11. num. 20.* ubi n. 23. bene docent articulum

K culum

culum mortis esse, quando proximè, certò, moratiter, & ferè invincibiliter mors inicit, periculum verò, quando sub dubio, vel timore probabili mors expectatur, ut in prælio, in morbo periculoso, in difficili partu, in longa navigatione, & similibus. Quamvis autem aliqui DD. putent, non esse idem dicendum in periculo mortis, quod dicitur in articulo, communior tamen opinio est, nullam esse differentiam quoad prædictam facultatem absolvendi si- vè in articulo, si vè in periculo mortis: illæ enim voces reciprocè in jure usurpantur. cap. Si quis suaden- te. 17. quest. 4. cap. Eos, qui. De Sent. excommu- ni. 6. Et ita scribunt Suarez d. disp. 26. scilicet. 4. n. 43. & alii plurimi relati à Salmanticensibus ubi supra num. 24. addentibus sub periculo mortis comprehen- di periculum futuræ amentia; nec non eos, qui sunt in captivitate; hi enim omnes à quocumque sacerdote possunt absolvi, ac si essent in articulo mortis.

28 Sed quid Juris si in eo articulo, vel periculo adfit Sacerdos approbatus? poteritne non approbatus absol- vere? Sunt hinc inde opiniones probabiles ob rationem, ac multitudinem Doctõrum pro utraque militantiùm, quos cumulant Salmanticenses ubi ante num. 29. & 30. qui adhaerent negativæ, illam limita- tes, quando Parochus, vel Sacerdos approbatus, recuset audire Confessionem moribundi, vel existi- stentis in periculo mortis, aut supervenerit, incepta iam confessione coram non approbato, hic enim posset continuare in audienda illa, & absolvere; prout etiam si esset repetenda confessio coram eodem non approbato facta, ob nullitatem absolutionis ex aliquo defectu penitentis, puta mendacii, non doloris sufficientis, vel sine proposito emendandi. Porro, si in dicto articulo, vel periculo mortis penitens ir- retitus esset excommunicatione, & supervenerit Super- ior habens facultatem absolvendi ab illa, ab ipso esset prius recipienda absolutio à censura; deinde eo nolente audire confessionem peccatorum, posset penitens ea confiteri Sacerdoti non approbato. Sanchez d. lib. 2. cap. 13. num. 15. Salmanticenses ibid. n. 36. addentes n. 37. quod completa confessione coram non approbato, & recepta ab eo absolutione, si superveniat approbatus; & penitens iterum velit aliqua peccata oblitâ confiteri; id facere debet coram approbato, quia hæc est nova confessio à priori independens. Sanchez d. cap. 13. n. 15. Tandem, an in defectu Sacerdotum, possint Angeli in articulo mor- tis absolvere à peccatis? Videatur Diana part. 11. tract. 6. resol. 14. quæ transitum fecit in Coordinati operis tom. 1. tract. 4. resol. 16. De Sacri Viatici administratione exemplum habemus in S. Raymundo Nonnato, de quo ait Breviarium Romanum die 31. Augusti. Let. 6. Cumque morbus ingravesceret, & Sacerdos diutius tardaret, Angelorum ministerio sub specie Religiosorum sui Ordinis apparentium salutari Viatico refoctus fuit.

30 Quo ad Ultimum: Si querimus, Quando appro- batio iam concessa pro auditendis confessionibus expi- ret; Tres casus sunt distinguendi. Primus est, quando concessa fuit ad tempus limitatum; videlicet ad sex menses, vel ad annum, ut hæc temporibus faci- unt Episcopi cum quibuscumque Confessariis, & est mos Urbis, & Orbis, ut ait Nicolius in Lucubrat. Canonici d. lib. 5. tit. 38. n. 9. & in hoc casu extra om- nem controversiam est, quod expirato tempore, expi- rata etiam est ipsa approbatio; nam limitata causa limitatum producit effectum. Menoch. consil. 24. n. 19. & consil. 414. n. 1. Secundus casus est, quando data est approbatio indefinitè, & illimitatè, & in hoc casu durat etiam post mortem concedentis, & donec revocetur à Successore. Sanchez de Matrimon. lib. 8. disp. 28. n. 72. Garzias de Benefic. part. 6. c. 2. n. 321. Salmanticenses d. tract. 6. cap. 11. n. 80. ubi DD. pluri- mos congerunt ita scribentes, ob eam rationem, quia approbatio, quæ fit ab Episcopo, ut simplices

Sacerdotes possint audire confessiones, est gratia; gra- tia autem de jure non expirat morte concedentis. cap. Si super gratia 9. De Offic. Deleg. in 6. & in cap. Sicut. 36. De Præbend. eod. lib. 6. Hinc praxi solent, quod mortuo Episcopo, Confessarii antea ab eo approbati continuant suum ministerium, donec Vicarius Capitularis revocet eorum facultates, quòd circa Confessarios Sæculares facere non est ei prohibitum. Marchettus in Praxi Vicar. Capitular. part. 2. tit. 17. n. 15. & Diana part. 8. tract. 4. resol. 48. reposita in Operis Coordinati tom. 3. tract. 5. resol. 33. §. 2. Et quod dicitur de morte Episcopi, procedit etiam de cessatione ejus ab Officio, ut si cedat dignitati, aut ea privetur; vel per incursum in censuras jurisdictionis exuatur. Aversa g. 16. scilicet. 4. Salmanticenses d. tract. 6. cap. 11. n. 82. Tertius casus est, quando Episcopus concessit licentiam Confessario audiendi confessiones his verbis: Ad beneplacitum nostrum. Vel, Donec voluerò; seu, Dum fuerit no- stra voluntas; aut, Ad arbitrium voluntatis nostræ; si vè, Dum nobis placuerit. Et in his casibus per mortem concedentis expirat facultas Confessarii; nam beneplacitum, & voluntas personæ pendet ab ipsa per- sona; quæ extincta per mortem, etiam beneplacitum, & voluntas extinguitur. Ita Suarez disp. 27. scilicet. 4. Reginaldus lib. 5. num. 95. & Salmanticenses alios DD. allegantes d. cap. 11. num. 85. ubi subdunt, aliud esse dicendum, si Episcopus dixisset in licentia se eam dare, donec revocaverò; vel donec aliter disposue- ro, quia per mortem supervenientem impeditur actus revocationis, & contrariæ dispositionis.

Corollarii loco notandus est iste Casus. Vocatur Confessarius habens licentiam suam limitatam ad tempus, ut audiat confessionem Parochi necessariò celebraturi. Dubitat Confessarius, an duret sua li- centia? Timet, tempus ejusdem expirasse. Poterit- ne audire, & absolvere? Afirmativè respondent Suarez disp. 26. scilicet. 6. Eminent. Card. de Lugo disp. 29. num. 28. Salmanticenses d. tract. 6. cap. 11. n. 75. Sed sub conditione, si mea licentia durat. Ratio est, quia nullus est abusus Clavium cum dicta conditione; nam si adest jurisdictione, fiet Sacramentum, & profic- ient penitenti; si verò non addit, nihil ponitur in esse, & tantummodo ipse penitens monitus deinde de veritate, si licentia expirasset, teneretur iterum confiteri. Id autem fieri non debet, nisi urgente ne- cessitate.

DECISIO XXXVIII. ARGUMENTUM.

De Approbatione Confessariorum Regularium, pro audiendis secularium personarum confessionibus, tractatur in præsentì Decisione. Recensentur eorumdem Regularium Privilegia antiqua; eaque declarantur, distinguendo tria Jura: Jus vetus Extravagantium, Jus novum Concilii Tri- dentini; & Jus novissimum Constitutionis Ur- bani Papæ VIII. Disputatur, An Regulares Confessarii habeant Jurisdictionem à Papa; vel ab Episcopis? Quomodo fit danda licentia Regularibus audiendi Confessiones Laicorum? Et quando jam data limitari, vel revocari possit? pluraque alia dubia proposita deciduntur, tum ex declarationibus Sacræ Congregationis Con- cilia; tum ex Constitutione Clementis Papæ X. Anni 1670.

SUMMARIUM.

- 1 Monachi quando caperint audire Confessiones Lai- corum, & quando Ordinari Mendicantium? 2 Privilegia cur data Regularibus circa Prædica- tionem, & Confessiones?

- 3 Privilegia Regularium in corpore Juris inserta, quæ sint? 4 Bonifacii VIII. privilegium pro Confessariis Regularibus. 5 Benedicti XI. aliud privilegium pro iisdem. 6 Clementis V. ordinatio pro Confessariis Regularibus. 7 Regulares Confessarii olim à suis Superioribus tantum examinabantur. 8 Examen, & approbatio Regularium Confessario- rum spectat ad Episcopos tantum ex Decreto Conc. Trid. 9 Urbanus VIII. cassat, & irritat omnia privilegia Regularium quo ad examen, & approbationem eorum pro Confessionibus audiendis. 10 Jurisdictionem pro absolvendis penitentibus secularibus an Regulares recipiant à Papa, vel ab Episcopis Diocesanis? 11 Glossæ in Sacros Canones auctoritas. 12 Jurisdictio pro Confessionibus ante Concil. Trid. debetur Regularibus ab Episcopis. 13 Privilegia omnia Regularium circa Confessiones Laicorum revocata. 14 Moralissimum assertiones non veræ circa Confessarios Regulares. 15 Auctoris opinio circa Jurisdictionem Regularium Confessariorum. 16 Appellare possunt Regulares idonei à denegata licentia audiendi Confessiones; Non etiam Presbyteri seculares. 17 Regularis Confessarii an sint approbandi tempore limitato? 18 An licentia eis data possit revocari? 19 Lis inter Episcopum Paduanum, & Regulares Confessarios Anno 1653. 20 Quæstio, & Responsa S. Congregationis pro Confessariis Regularibus Anno 1654. 21 Parochi possunt iterum examinari ab Episcopo quoad scientiam. 22 Revocare licentiam Confessionum Regularibus quando liceat? 23 Licentia Confessionum data ad tempus, eo elapso expirat. 24 Vicarius Capitularis An possit examinare Regu- lares Confessarios? 25 Confessarii Regulares approbati ab Episcopo, an etiam à suis Superioribus sint approbandi? 26 Abbates, alivæ Superiores Regularium an possint audire Confessiones secularium sine licentia Episcopi? 27 Oracula vivæ vocis sunt omnia revocata. 28 Regulares Confessarii an tenentur interesse Congregationi Calium Conscientiæ? 29 Regulares Curati debent dare refedionem in die Congregationis Casuum. 30 Papa Confessarii non approbati, audientis Confessiones. 31 Regulares approbati ab Episcopo ad Confessiones secularium non possunt mitti à suis Superioribus ad audiendas illas Monialium sibi subditarum. 32 Clementis X. Constitutio decisiva omnium dubio- rum circa licentias pro Confessariis Regularibus.

Quod attinet ad Jus antiquum, Hoc consistit in Privilegiis concessis per Summos Pontifices Ordinibus Religiosis tum Monasticis, tum Mendicantibus au- diendi confessiones Laicorum, & eos absolventi à pec- catis: siquidem statim post redditam pacem Ecclesiæ, sub Constantino Magno, florere cœperunt Regulares Ordines sanctitate, ac doctrina; quarum virtutum in- titulo iidem tum Canonici, tum Monachi sacramenta ministrandi, & confessiones Sacramentales audien- di munus susceperunt; ut testatur de eis S. Ambrosius, evectus ad Archiepiscopatum Mediolanensem Anno 374. sic scribens in c. Doctos. 16. q. 1. Doctos, ac probos Monachos Presbyterii honore dedicatos, baptizare, predicare, penitentiam dare, debita miseris lavare, &c. moderata dispensatione comendamus. & S. Gregorius Magnus electus Papa Anno 590. Anglorum gentis conversionem insidiatur, Augustinum Monasterii sui Præ- fectum, Virum sanctissimum, cum alii quibusdam Mo- nachis sociis misit in Angliam, ut ex Eminentiss. Card. Baronio transcribit Spondanus Anno 596. n. 2. & ad favorem aliorum Monachorum, qui in Italia curam animarum gerebant, & excipiebant Laicorum confes- siones in c. Moderamine. ead. Causa. 16. quest. 1. idem S. Gregorius Papa ita rescriptit: Moderamine Apo- stolice auctoritatis decernimus, ut Monachi, si Presby- terii honore dedicati sunt, cum ligandi, absolvendi po- testate, decimarum, primitiarum, &c. portionem, non minus, quam cæteri Sacerdotes sibi vendicent. Et quoniam plures ab invidia agitati garriebant contra Confessarios Monachos (quorum duodecim Monasteria erecta fuerant à Sancto Benedicto usque de Anno 494. ut notat idem Spondanus ibid. n. 16.) Bonifacius Papa Quartus, qui Cathedram Divi Petri ascen- denter Anno 607. objurgat detractores in c. Sunt nonnulli. 16. q. 1. & commendat Monachos confessa- riorum munus exercentes; ita dicens: Sunt nonnul- li, nullis dogmate fulti, audacissimè quidem, zelo magis amaritudinis, quam directionis inflammati, asseren- tes Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo vi- vunt, sacerdotalis Officii penitus indigni: neque penitentiam, neque christianitatem largiri, neque absol- vere posse per Sacerdotalis Officii divinitus sibi injun- ctam potestatem: sed omnino labuntur; neque enim beatus BENEDICTUS, Monachorum præceptor Almissus, hujus rei aliquo modo fuit interdictus: sed eos secularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo. Et paulò infra: Nos verò tantorum Patrum instituti exem- pli (quibus periculosissimum est refragari) credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi, absolvendique Officium, Deo operante, dignè administrari, si eos dignè contige- rit hoc ministerio sublimari. En igitur, quòd per spa- tium undecim sæculorum, & ultra, ex sacrorum Canonum testimonio, Monachi audiebant Confessiones Laicorum; eisque sacramenta Ecclesiæ adminis- trabant; & idem munus ab ipsis assumptum fuisse in an- teditis transactis sæculis affirmant Canonistæ, quos citat, & sequitur Lezana in suis Consultationibus var- riis consult. 41. num. 47. Monachos autem imitati vult Regulares Mendicantes exorti in Ecclesia tam ante, quam post decimum sæculum, & præcipue Car- melitæ, Eremitæ Sancti Augustini, Prædicatores à S. Dominico instituti; Minores à S. Francisco; & alii multi, quorum ortum recenset Barbosa de Jure Eccl. Univers. lib. 1. cap. 41. per tot. qui omnes vi- neam Domini ingressi, eam ingentibus laboribus col- luerunt doctrinis, ac exemplis, & præcipue prædicatione Verbi Dei, & administratione Sacramenti Poenitentia.

Porro ob non leves controversias, quas Regu- lares, etsi coadjutores Cleri Sæcularis, cum eodem contraerant, potissimum in concionibus, & in au- diendis laicorum confessionibus, Summi Pontifices illos exemptos fecerunt à Jurisdictione Ordinariarum, ac pluribus Privilegiis eisdem tutati sunt; quorum aliqua in corpore juris, & intra Sacros Cano- nes